



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 25. Philoppovius morti adjudicatus, & postea vitæ veniam impetrans.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI
A.C. 1566

ejus adversarii in Aula, ac comitiis potentia valerent: proin a cunctis suis amicis præter Prilecium derelictus coram Rege itans exclamabat: *Veniet tempus, in quo alius Rex judicabit, ubi accusatus triumphabit, atque hic idem Rex suos conservabit:* cum autem Zamofiskius eum talia proferentem audiret, Catholicæ fidei Zelo accensus illum accusabat, quod novi Regis, qui hunc reum vindicaturus esset, adventum minitari auderet, ac proin se Regis, Regnique hostem declararet: quinimo ipsemet hujus hæretici præfagio commotus, hunc hominem fors novum Prophetam, aut quemdam Astrologum, qui quamdam Regni mutationem prævidisset, fore existimabat:

§. XXV.

Philoppovius morti adjudicatus, & postea vitæ veniam impetrans.

Cum sceleratus hic homo accusationem istam iniquo animo ferret, justitiam sibi fieri a congregatis Proceribus sive vitam suam prolongandi studio, sive suum erga Principem affectum ostendendi Zelo animatus postulare audebat: verum nonnulli eidem Authores existerant, ut Zamofiskii Patrem adiret, atque ab eodemmet contra ipsius Filium sibi satisfieri peteret: cum ergo hic

Sæcul. XVI.
A.C. 1566.

hic Nobilis Philoppovium sibi aliis titulis obstrictum haberet; hinc Filio suo mortem minitabatur, nisi accusato prompte satisfaceret. Id quidem Filius, cum Vir esset omnibus honesti Viri dotibus abunde ornatus, lubenti animo, tamque generose præstitit, ut ad indulgentiam huic condemnato impendendam, necnon veniam eidem impertiendam Regem propensum redderet: hinc omnes accusationes in eum intentatæ, cunctaque illius hostium molimina, imo etiam ipsa mortis sententia adversus eum tam solemniter pronuntiata suo frustrabantur successu. Præterea, cum quidam cujusdam Pagi Parochus juxta præfatum edictum alios de hæresi accusatos denunciare vellet, nullatenus audiebatur; quamprimum enim hi declarabant, quod nec Ariani, nec Anabaptistæ essent, sed sacras literas, Apostolorum Symbolum, & primorum sæculorum fidem profiterentur, mox ab omni judicii severitate absoluebantur.

§. XXVI.

Gregorius Pauli cum aliis profugus.

Gregorius Pauli percelebris ille Soci-
nianus, cujus jam supra meminimus, cum vereretur, ne Miscovius
hoc Regis edicto fretus quicquam con-

*Florim.
Ræm. de
ortu hæres.
Spond. an-
nal. ad
ann. 1561,*

Hist. Eccles. Tom. XLVIII.

D tra